



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Manuale Parochorum, De Plerisque Functionibus, & Obligationibus, ad Parochias, Parochos & Parochianos attinentibus

Engel, Ludwig

Salisburgi

Cap. 1. De Votis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-40922



P A R S V.

De Votis, Juramentis & Usuris
tanquam materijs practicis Parochis
scitu quoque utilissimis.

C A P U T I.

De Votis.

V Otorum materia quotidie Parochis & Con-
fessariis obvia est, angitque bonas animas,
quare & hanc, utpote ad curam pastorem
plurimum pertinentem inferere volui, optout
ex voto sit.

§. I.

Quid sit Votum, quænam ejus requi-
sita & obligatio?

S U M M A R I A.

1. *Votum quid, & quomodo differat à proposito.*
2. *Si dubitetur, fueritne votum vel propositum, præsumitur, non fuisse votum.*
3. *Votum aliud explicitum, aliud implicitum.*
4. *Voto obligatur etiam qui non habuit animum servandi; secus, si se non obligandi.*
5. *Quanta deliberatio requiratur in voto; & quid, si dubitetur an fuerit sufficiens deliberatio.*
6. *Qualis error tollat obligationem voti.*
7. *Difficultates novæ emergentes, vel non prævisæ*

CHY

cur potius tollant obligationem voti, quam contractuum.

8. *Votum debet fieri Deo, saltem mediate, ut si fiat Sanctis.*
9. *Votum debet esse de meliori bono, & ibi an res indifferentes, vel res bona ob malum finem voveri possint?*
10. *An & quando valeat votum contrahendi matrimonium?*
11. *Voveri possunt etiam ea, qua alias sunt de precepto.*
12. *Quanta sit voti obligatio, & an detur parvitas materia.*
13. *Quamdiu executio voti differri possit, & an providens impedimentum teneatur prevenire.*
14. *Quid, si votum sit parum de re possibili, parum impossibile.*
15. *An votum possit per alium impleri.*
16. *Exponitur tex. in c. quod super, de voto.*
17. *Vota quatenus obligent successores. Alia Summaria invenies in §. seq.*

Votum communiter definitur quod sit, promissio deliberata Deo facta de meliori bono. Dico primo: *Votum esse promissionem, ut distinguatur à proposito, nam propositum concipitur sine actuali obligatione; unde qui propositum utcumque firmiter & efficaciter conceptum non servaverit, peccati propterea reus non erit, quia nulla se obligatione obstrinxit, c. 3. & ibi gl. de voto & voti red. Contingit non raro, ut homines dubij reddantur, anne votum,*

- 2 vel solum propositum conceperint? † In quo dubio poterit præsumi, non fuisse votum, quia in dubio melior est conditio possidentis, c. in pari. de R. 1. in 6. fuit autem talis dubitans prius in possessione libertatis, quâ eum non constat privatum esse. Item in dubio non est obligatio inducenda. L. Ariannus. de O. & A. Henr. Zoëf. aut tit. Decret. de voto. n. 50. Suar. de voto lib. 4. c. 5. non obstat, quòd in dubio tutior via sit tenenda: quia hæc regula plerumque est tantum de consilio, non de præcepto, nisi quis in dubio practico perseveraret, neque ad ejus depositionem se resolvere posset, tunc enim non liceret agere cum conscientia practice dubia. Item in dubia irregularitate orta ex homicidio, quando factum scilicet homicidium, vel mutilatio, est certum, & tantum culpa incerta, ad quale scandalum & offensionem hominum evitandam jussit subinde Pontifex tutiorem viam & abstinentiam ab Ordinibus eligi, c. ad audientiam. 3. & c. pen. de homicidio.
- 3 Porro hæc promissio aliquando est implicita & actui, quem quis agit annexa: ut si Clericus suscipiat SS. Ordines, quibus scit votum castitatis annexum esse, hoc ipso eandem promittere censetur, c. un. h. t. in 6. quemadmodum de Jure Civili sunt tacita pacta juxta L. 2. ff. de pactis, & obligationes, quæ ipso facto contrahuntur, & ex quasi contractu appellantur, toto tit. Instit. de obligat. quæ ex quasi contractu.
- 4 Sed quid, si aliquis promissionem quidem votivam

votivam faciat, non tamen animum habeat illud votum servandi? e. g. si habens domi concubinam, emittat votum castitatis, vel SS. Ordines Clericales suscipiat, an tale votum valebit? R. affirmativè, quia obligatio voti est distincta ab executione voti, nec ab ea dependet, unde rectè obligatio sine executione consistere potest, prout sine dubio is, qui de facto votum non servat, nihilominus voto tenetur, *Navar. in manuali, c. 12. n. 27.* & in simili obligationem ad matrimonium B. Virginis cum S. Josepho fuisse sine intentione executionis superius p. 3. c. 5. Sect. 2. n. 10. tradidimus.

Aliud verò dicendum, si quis non tantum non habuerit animum non servandi votum, sed etiam non habuerit intentionem se obligandi, & verba merè extrinsecus protulerit, intrinsecè autem contrariam protestationem fecerit; talis enim voto non obligabitur, quia nulla est obligatio sine consensu tacito vel expresso, & si Clericus in susceptione SS. Ordinum non habuerit intentionem vivendi castitatem, non obligabitur quidem ad cœlibatum ex voto, obligabitur tamen ex præcepto Ecclesiæ, interim graviter peccabit, quia decipit Ecclesiam, quæ non vult alicui sacrum Ordinem dari, nisi qui se castè victurum promiserit, *cap. 1. dist. 27. Sc 1. dist. 28.*

Quòd si quis suscipiens SS. Ordines penitus ignoraverit obligationem voti esse annexam,

xam, non videtur voto adstrictus, quia ignorantia tollit voluntatem & consensum, nisi ut plerumque fit, habuerit generalem & implicitam intentionem se obligandi ad illa omnia, quæ conditio Ordinis requirit, quamvis in specie de voto castitatis nihil seiverit.

§ Dico secundò, votum esse *promissionem deliberatam*, ubi aliqui perfectam deliberationem & majorem, quàm ad peccatum mortale requirunt, ut Lessius *de voto, dubio 1. n. 4.* alij autem probabilius statuunt, eam deliberationem, quæ obligaret nos diabolo per peccatum mortale, sufficere ad obligandum nos Deo per votum, si scilicet plena advertentia accedat, ut vovens sibi præsens sit, & sine subitaneo motu vel animi passione iudicium ac deliberationem perturbante advertat se vovere, *Gutierrez Can. quest. l. 2. c. 22. n. 7. arg. c. sunt qui opes. 17. q. 4. § c. 2. h. 1.*

Quid, si dubitetur, an adfuerit sufficiens deliberatio? Sunt, qui hoc & superiori casu *sub n. 2.* pari passu procedunt, censentque possessionem, & consequenter præsumptionem stare pro *libertate*. Tutius tamen videtur, ut hoc casu possessio & præsumptio pro voto asseratur. Nam quando certum cum incerto concurrat, possessio regulariter stat penes id, quod certum est, sicut in possessorio iudicio, qui actus possessorios certos præsentat, præfertur illi, qui per petitorium disputat, tales actus non fuisse legitimos, usque dum reverà

NON

non legitimos fuisse demonstraverit. Atqui in ista hypothefi supponitur votum fuisse certò emiffum, & tantùm dubitatur an cum fufficienti deliberatione, ergò possessio fiat pro voto, in altero autem casu, constat, me prius fuisse liberum, & dubitatur de ipfo voto, ergò possessio est penes libertatem. *Vid. Sanch. de matrim. l. 1. disp. 8. n. 10. & Sufius l. 2. disp. 41. n. 31. & seq. Zoes. h. t. n. 29.*

Vota autem ex metu cadente in constantem virum emiffa non obligant, cum non sint promiffio voluntaria & libera, dummodò metus fit injustus ab extrinseco, & ad finem eliciendi votum incuffus, vel saltem votum pro medio evadendi concessum, veluti *inc. 1. De his que vi metusve*, dicitur, non valuisse professionem mulieris in Monasterio, quæ suspecta de adulterio à marito tradita fuit ministris occidenda, à quibus tamen dimiffa erat sub conditione, ut Monasterium ingrederetur. Secùs est, si metus tantùm proveniat ab intrinseco timore, vel ab extrinseco quidem, sed qui non sit ad eliciendum metum incuffus. Unde non est dubitandum, quin valeant vota metu naufragij, latronum, vel infirmitatis emiffa, *c. ex parte. 9. de conversione conjug. Suar. 1. de voto. c. 7. Sanch. de matrim. l. 7. disp. 29. n. 5.*

Circa errorem aut deceptionem, qui aliter quando in votis intervenit, distinguitur inter vota *simplicia & solemnia*, simplicia enim cum sola voluntate voventis sine actuali sui tradi-

rione constituentur, non tantum expressas, sed
 etiam tacitas condiciones admittunt: ac proinde
 error in causa etiam merè impulsiva, aut circumstantijs
 solum accidentalibus notabiliter tamen rei statum mutantibus obligationem
 voti tollere potest, si vovens ita constitutus sit,
 ut non nisi in talibus circumstantijs se obligare
 intendat, v. g. si voveat peregrinationem, quia
 putat esse vicinam & facilem, aliàs non facturus
 tale votum, postea verò audiat esse remotam,
 difficilem & sumptuosam. Ita generalem regulam
 tradunt DD. Antonin. Ang. Sylv. Hostiens. Navar. & alij plures apud Sanch. de
Matrim. l. 10 disp. 9. n. 15. quòd vovens non
 obligetur in eo eventu, quem excepisset, si
 tempore voti emissi cogitasset, tum quòd in talem
 eventum censeatur, se virtualiter noluisse
 obligare, tum quòd *in generali promissione non veniant ea, quae quis verisimiliter in specie non promississet, c. in generali. de R. l. in 6. c. qui ad agendum. de procur. in 6. clem. 2. eod. tit.* Quam
 quidem doctrinam tunc veram censet Sanch. *de l. 8 n. 16.* si eventus ignoratus claudatur
 in virtute voluntatis vovendi, & non sub objecto
 promissionis, aut sit causa finalis, ut si quis
 voveat dare Paulo eleemosynam, quem ignorat
 locupletem: secus verò, si includatur in
 virtute aliorum actuum vel habituum & claudatur
 sub objecto promissionis, aut sit causa merè
 impulsiva, e. g. non vovissem Paulo pauperi
 eleemosynam si scivissem furem, ebriosum

briosum &c. quæ tamen pauper est, claudetur sub objecto promissionis scilicet elemosynæ, & idcirco votum obligat. Verùm hæc limitatio, quæ ob magnam inbilitatem, & plurimas difficultates ac scrupulos in singulis factis emeruros haud facillè poterit Confessariis, nedum confitentibus ad clarum intellectum explicari, non videtur mihi necessaria, sed id potissimum attendendum esse, an quis eventu ignorato præcognito vovisset, vel non; si non vovisset, deficit perfecta voluntas in talibus circumstantiis, siue jam ad objectum promissionis pertineant, siue non, & habet locum regula *d. c.* quòd *in generali concessione non veniant ea, quæ quis verisimiliter in specie non fuisset concessurus, & verba accipienda sint secundum verisimilem atque adeo etiam habitualem intentionem proferentis, c. 2. de appell.*

Non obstat, quòd alij contractus non rescindantur ob difficultates postea emergentes, quibus prævisis non fuissent iniiri, cum aliàs nulla forent firma inter homines commercia, si eut argumentatur Sanch. *de l. n.* 14. Lessius *de voto dub.* 2. n. 10. nam responderi potest, imprimis frequentissimas in jure esse rescissiones contractuum ob accidentia non prævisa, veluti si occultum rei emptæ vitium detegatur, si malus vicinus celatus fuerit &c. *l. t. de adil. edict.* & *de act. empt.* si conductor adium spectris vexetur, latrones timeat &c. *L. habitatores. ff. locati.* Deinde quidquid sit de contractibus, qui simpliciter acceptantur ab hominibus, atque ad fir-

manda commercia & minuendas lites non facile solent leges concedere rescissionem, vel admittere exceptionem deficientis consensus, aliud tamen est in voto, quod cum principaliter fiat Deo, qui voluntatem nostram & animi consensum perfectissimè cognoscit, non censetur acceptare, in illis circumstantijs, quas non prævidimus, & si prævidissemus consensum minimè daturi fuisset. cessat etiam in votis minuendarum litem, & firmandorum commerciorum ratio, imò potius è contrario per nimium rigorosam & scrupulosam simplicium votorum obligationem lites & anxietates in conscientijs generamus, & homines à meritorio novendi actu deterremus, *Laym. de voto, c. 3. n. 4.* nimis enim durum est dicere, quòd Deus me obliget ex mea voluntate (neque præceptum voti servandi aliter obligat, quàm ex voluntate humana præsupposita) in tali casu & circumstantia, ad quam ipse scit, quòd voluntas mea se non extenderit; huc referri potest, quod cum Joan. And. & Molina tradit Zoël. *h. i. n. 56.* votentem abstinentiam vel jejunium diebus Veneris, non teneri, si Natalis Domini in diem Veneris incidat.

At verò *solemnia* vota cum per actualem sui traditionem perficiantur, & regressio ex Monasterio post professionem emissam admodum scandalosa sit, regulariter non irritantur ex errore vel deceptione: quia censetur professus se absolute & simpliciter obligasse sine reservatione vicijus tacitæ conditionis, si hoc vel illud fuerit

&c.

&c. prout exemplum ponitur *in c. ex parte. 14. de conversione conjugatorum.* ubi mulier post matrimonium ratum ingressa est Religionem, quia audivit maritum esse leprosum, respondet ibidem inter cætera summus Pontifex, quòd matrimonium fuerit dissolutum & valida professio, si qua facta sit, licet fortassis causa, quæ ad ingressum movit, falsa extiterit. hinc est, quòd illa regula, *dolus dans causam contractui bonæ fidei facit contractum nullum,* desumpta *ex L. 7. ff. de dolo.* non procedit in illis contractibus, qui per actua- lem sui traditionem perficiuntur, ut in profes- sione religiosa & matrimonio carnali, quorum annullatio propter scandalum non ita facilè ad- mittenda est. nisi tamen error sit circa substan- tialia Religionis, v. g. si ideò aliquis certum Monasterium ingrediatur, quòd putet in eo li- cere habere proprium, aliàs nullo modo ingres- surus. *vid. Sanch. d. l. à. n. 18. Laym. in Theol. moral. lib. 4. tract. 4. c. 1. n. 5.*

Dico tertio, votum esse *promissionem Deo fa-* 8
ctam, si enim aliquis tantum intendat se obligare homini non Deo, v. g. si quis promittat Confes- sario aut parentibus certum locum vitare, talis promissio votum non erit, nec per ejus transgres- sionem sacrilegium committetur. Non autem requiritur, ut votum immediatè Deo fiat, dum- modò finaliter in Deum dirigatur, sic votum ad Sanctos, vel eorum imagines factum verum vo- tum est, quia saltem mediatè Deo fieri censetur, quatenus id, quod petitur à Deo, per interces- sionem

tionem Sanctorum impetrari speratur. *Syl. verbo votum. n. 3.*

Dico *quarto*, votum debere esse *de meliori bono*: quia si res *indifferens*, quæ moraliter nec bona nec mala sit, & multò magis si ex se vel leviter mala sit, voveatur, inutile votum erit: nisi tamen res *indifferens* bono aliquo fine cohonestetur. unde licet non obliget votum non intrandi certam domum, non gestandi gladium, valebit tamen, si propter evitacionem fortè periculi peccati fiat, vel si aliquis nimis affectus esset erga talem actum *indifferentem*, & ideò pro sui mortificatione voverit abstinenciam ab eo.

De illis votis difficultas est, an valeant, in quibus res bona quidem vovetur, sed ob finem malum v. g. si dux ad injustum bellum proficiscens votum faciat extruendi templum, si victor evaserit, vel usurarius voveat largam eleemosinam, si usuras integras à debitoribus perceperit. **R.** Talia vota ordinariè non valere, quia facere votum ad impetrandam à Deo rem illicitam, vel tanquam in gratiarum actionem, quòd res illicita quasi per Dei auxilium acquisita sit, est mala & blasphema operatio, quia Deo adscribit operationem peccati, quæ ipsi non congruit, nisi prædictæ conditiones quasi pro tempore exsolvendi voti simpliciter facti statuuntur. v. g. quòd vovens velit templū ædificare, vel eleemosynam dare, postquam victoriam reportaverit, absque intentione mediante voto talem illicitum finem consequendi.

Alia

Alia est ratio, si quis rem bonam, jejunium
v. g. aut eleemosynam voverit ad finem impe-
trandi à Deo rem temporalem licitam & ho-
nestam, vel in gratiarum actionem, quòd obti-
nerit v. g. officium in aula, dives matrimo-
nium &c. quia similia à Deo tanquam eorum
authore petere, vel pro impetratis gratias agere,
bonum & honestum est.

Præterea non sufficit, ut votum sit *de re bona*
aliqua quacunque, si per id præjudicaretur *meliori*
bono. unde regulariter non valet votum con-
trahendi matrimonium, † quia per id impeditur ¹⁰
continentia & ingressus in Religionem, bonum
melius, & perfectius *1. ad Cor. 7. Trid. s. 24.*
Can. 10. propterea in definitione dictum est,
votum esse *promissionem de meliori bono*. nam Deo
non potest esse gratum & acceptum, quòd ali-
quis vovendo minus bonum, hoc ipso se obli-
get, quòd non velit amplecti majus bonum.

Dixi autem, votum matrimonij *regulariter*
non valere, nam ab hac regula aliqui casus ex-
cipiuntur. Ut I. Si per matrimonium possit
procurari bonum publicum, pax, Religio inter
Magnates. II. Si fiat causa pietatis ad liberan-
dam faminam ex statu vel periculo peccati,
quod liberanti proficiet in remissionem pecca-
torum. *c. inter opera. 20. de spons.* III. Si vovens
ipse frequenti periculo peccati obnoxius sit, cui
aliter quam per matrimonium haud facile me-
deri queat. Si tamen ex post speraret se cum Dei
gratia continere, & v. g. Religionem ingredi
posse,

posse, non obligaret votum in præjudicium status perfectioris. Sicut etiam in priori casu, volunt DD. votum non obligare cum exclusione Religionis, sed tantum conditionaliter, si aliquam ducturus est. *Zoes. h. t. n. 23. Laym. d. l. c. 2. n. 12. Suar. lib. 2. de vot. c. 9. n. 23.* Si quæras, cur potius juramentum de ineundo matrimonio alicui factum simpliciter obliget, *c. commissum. 16. de spons.* & non etiam votum? respondetur, votum fieri principaliter Deo, qui id non acceptat in præjudicium melioris boni, juramentum autem fieri homini cum divina solum attestazione, qui id simpliciter acceptat, quatenus sibi inde jus & utilitas quæritur. interim etiam juramentum habere tacitam conditionem, *nisi jurans maluerit Religionem ingredi,* communius sentiunt DD. ait tamen Pontif. *in d. c. 16.* tutius esse, prius matrimonium contrahere, & postea ingredi, sed id DD. explicant, si multum interesset sponsæ vel ob infamiam, vel lucrum antenuptialis donationis ex statuto &c. *vid. Sanch. de matrim. lib. 1. disp. 43. n. 6. Zoes. ad ut. de sponsal. n. 29.*

¶ Cæterum autem non tantum ea, quæ de *Con. silio Evangelico* sunt, voveri possunt, sed etiam ea, quæ sunt de *precepto*. v. g. non blasphemare, non fornicari, &c. ut aliquis ex gravitate & duplicitate obligationis tantò magis à peccato abstereatur; nihil enim impedit aliquem circa eandem rem pluribus obligationibus teneri, veluti si rem alienam, quam ex jure divino & naturali

turali restituere debeo, etiam per specialem promissionem me restitutum pollicear. Latius hæc prosequitur Less. *de voto. dubio 7. Laym. de voto. c. 2.* ulterius post explicatam voti definitionem circa ejus obligationem & executionem

Quar. 1. Quæ & quanta sit voti obligatio? 12

R. De fide certum esse, quod omne votum validè emissum ex virtute Religionis obliget ad præstandum id, quod voto promissum est, juxta illud *Dent. 23. Si nolueris polliceri, absque peccato eris, quod autem semel egressum est de labiis tuis, observabis. & illud Psal. 75. Vovete, & redde Domino Deo vestro.* estque transgressio voti peccatum ex genere suo mortale, quia violare fidem & promissionem Deo datam gravis culpa est; aliquando tamen ob parvitatem materia veniale esse potest, puta si ex materia voti aliqua pars subtrahatur, & votum pro majori parte impleatur. v. g. si vovens orare rosarium unum vel alterum *Ave Maria* omittat.

Quid, si tota materia voti sit parva v. g. si quis voverit singulis diebus orare unum *Ave Maria* & illud omittat? adhuc venialem tantum culpam esse docet Lessius *de voto. dub. 9. n. 58.* & ita testatur plerisque sentire Recentiores. consulèrem tamen pro tutiori, ne tale peccatum facile in Confessione omittatur, quia aliqui graves DD. in diversa sunt opinione. *Cajet. de jurament. q. 49. art. 7. Ang. v. votum. l. 3. q. ult.*

Deinde in foro etiam extrinseco Ecclesiastico ille

ille

ille, qui scitur votum fecisse, ad ejus observacionem rectè compellitur, quia Ecclesia judicat de quovis peccato mortali, & præcavere debet, ne crimina committantur. *c. novit. de judicijs. c. quod super. in fine. 7. de fide instrum* præsertim si Ecclesiæ vel alterius inter sit, votum impleri, ut quia aliquis voto se obligavit Ecclesiam edificare, pauperibus vel terræ sanctæ subvenire &c. *c. licet. 6. h. t.*

Q. 3 *Quar. II.* Quàm diu executio voti differri possit? *R.* Si certum tempus vovens ipse sibi determinaverit, illud sine peccato elabi non patietur: si præviderit impedimentum illo tempore futurum, tunc votum prius exsolvere debet, neque elapso tempore, si votum non impleverit, hoc ipso liber erit, sed postea implere debebit, nisi votum ob specialem Dei cultum ad hunc, & non alium diem determinatum sit. v. g. si quis in festo certi alicujus Sancti se jejunaturum promisit, & illo die non jejunavit, peccavit quidem, sed alio die jejunare non tenebitur. Imò tamen si præviderit impedimentum, non cogetur anticipare: quia tunc solum anticipatio prævisio impedimento est necessaria, quando obligatio est absoluta, & tempus tantum dilatio executionis, secus verò si tempus sit quasi pars voti, & votum proprium diei onus. *Suar. de voto. lib. 4. c. 14. Zoëf. h. t. n. 54.*

Quòd si nullum certum tempus vovens sibi præfixerit, debet votum exequi, quamprimum commodè potest, juxta illud *Deut. 23. cum vo.*

zum voveris Domino, non tardabis reddere, quia
 requirit illud Dominus Deus tuus, & si moratus
 fueris, reputabitur tibi in peccatum, quemadmo-
 dum etiam in alijs obligationibus ab eo, qui
 se sine certo tempore obligavit, res statim peti
 potest, quamprimùm debitor facultatem sol-
 vendi habuerit, *l. promissor. §. 1. ff. de constituta
 pecunia*, ita tamen ut juxta humanum modum
 & arbitrium boni viri hæc res accipiatur, neque
 enim qui fortassis peregrinationem vovit, coi-
 geretur diebus ac noctibus, vel omni tempestate
 & periculo & incommoditate contempta illam
 explere, *arg. text. notab. in l. continuus. 137. §. 2.
 ff. de verb. obligat.*

Quær. III. Si Votum pro aliqua parte sit mo- 14
 raliter vel physicè impossibile, utrùm saltem
 obliget quo ad partem possibilem? *R.* Esse di-
 stinguendum, utrùm materia voti sit *dividua*,
 vel *individua*, priori casu locum habebit *regula*
36. juris. in 6. quòd utile non vitietur per inutile;
 adeoque si vovens votum implere secundum
 unam partem non possit, tenebitur secundum
 eam, quam potest. Quare qui vovit se je-
 junaturum totâ septimanâ, si singulis diebus id
 sine periculo facere non possit, tenebitur illis
 diebus, quibus potest. Item qui vovit, se
 Ecclesiæ donaturum 1000. florenos, si propter
 supervenientem paupertatem totam summam
 dare nequeat, tenebitur ad illam partem, quam
 dare potest salvâ congruâ suâ sustentatione. Il-
 lam tamen exceptionem hic addunt DD. nisi

MAN. PAROCH.

Qd

pars

pars impossibilis sit *principalis*, & altera tantum *accessoria*, & non aliter quam respectu illius *principalis* promissa. Unde qui vovit se peregrinaturum ad certam Ecclesiam, & ibidem oblationem facturum, si peregrinari non possit, non tenebitur oblationem eò mittere, juxta vulgatum, quòd *principale trahat ad se accessorium*, si tamen oblatio esset in magna quantitate promissa, tunc censeretur illa *principaliter* esse in obligatione, & peregrinatio tantum *accessorie*, ideòque peregrinatione impossibili illa oblatio transmittenda foret; nam pereunte *accessorio* non perit *principale*.

Altero autem casu, si materia voti sit *indivisa*, tunc una parte impossibili non tenebitur vovens possibilem implere. v. g. qui vovit templum ædificare, & propter supervenientem inopiam totum ædificare non potest, non tenebitur capellam ædificare. *Suarez de voto. lib. 2. c. 2.* Generaliter autem tota hac quaestio potissimum ex intentione voventis resolvenda est, an voluerit se ad omnes partes voti collectivè tantum sumptas, vel etiam ad singulas divisim obligare. In dubio quando nec ex conjecturis constaret de intentione voventis, suaderem observationem partis possibilem, quia in dubio tutior via est tenenda saltem de consilio, sed multum renitenti non auderem imperare, quia in dubio non est facilè inducenda obligatio, *l. Ariannus. de oblig. & act.* & votorum obligatio ex communi sententia non est amplianda, sed strictè

strictè accipienda, arg. c. ex parte ubi. Panorm.
de censibus. Item in obscuris quod minimum est,
sequimur regul. 30. juris in 6. Sanch. de matrim.
lib 9. Diss. 35. n. 8.

Quar. III. An liceat votum per aliam per- 15
sonam implere, vel an teneatur per aliam im-
plere, qui per se ipsum non potest?

R. I. Esse distinguendum inter vota *persona-*
lia, realia, & mixta, votum *personale* est,
quando solum factum proprium promissum
est, ut jejunium, oratio &c. Votum *reale*,
quando vevens promisit se aliquid daturum
v. g. elemosynam aut dotem pro Ecclesia.
Votum denique *mixtum*, quando præter do-
nationem rei etiam ipsa actio seu functio perso-
nalis promissa est, ut peregrinatio cum oblatione.

R. II. Votum *personale* vel etiam *mixtum*,
(si nullum subsit impedimentum ex parte vo-
ventis, de quo infra) per ipsam personam vo-
ventem implendum est, nec per aliam impleri
potest, quia illa tantum & non alia obligata est;
neque hic locum habet regula, quod *quis per*
alium facit, per se ipsum fecisse censetur, prout ea-
dem regula nec in alijs casibus obtinet, in quib-
us ipsius personæ obligatæ factum, ejusque
industria maximè pro majori sui mortificatio-
ne promissa est. Votum autem *reale* aliquando
per aliam personam impleri potest, ut si quis
solvat pro me elemosynam quam promisi da-
re pauperibus, quia tunc cenietur mihi donasse
pecuniam, & ita brevi manu illa elemosyna de

meo data esse, prout observat Sanchez, *lib. 4. moralium. c. 10. n. 10.*

¶ III. Qui non potest votum *personale* v. g. jejuniij aut orationis per se implere, non tenetur id implere per alium, quia actus non obligat ultra intentionem agentis, fuit autem intentio voventis, suam tantum non alterius personam obligare, & quilibet vovet eo animo, ut velit se & non alium affligere. Illum tamen casum excipit Sanch. *d. lib. 4. c. 15. n. 9.* Si votum *personale* non tam intendatur pro sui afflictione, quam pro utilitate alterius, v. g. si quis votum fecerit jejuniij aut missæ dicendæ pro redemptione animarum in purgatorio, quæ sententia Sanch. videtur habere æquitatem, & propterea voventi consulenda, cum finis voti tali casu etiam per alium obtineri possit, si tamen vovens non posset facile habere alium per quem votum impleat, non foret cogendus, nisi fuisset ipsius intentio, implendi votum sive per se sive per alium, nam in dubio quilibet præsumitur se tantum obligare voluisse.

¶ 16 Sed his opponi posset difficilis textus *c. quod super. 8. X. de voto.* ubi S. Pontif. decidit, quod illi, qui fecerunt votum succurrendi terræ Sanctæ, si ob impedimentum perpetuum in propria persona ire, aut militare nequeant, teneantur expensas quas facturi fuissent transmittere, & votum per alios exequi. Hanc decisionem non esse ex natura hujus voti (utpote quod potius *personale* quam reale sit) sed ex præsumptione

mente voventis, qui in defectu suæ personæ ad expensas se obligasse censeatur, existimat Paul. Laym. d. L. c. 3. in fine. cum Palud. Nav. & alijs Verùm quia non est bene credibile, quòd S. Pontifex voluerit quæstionem voti, quæ immediate conscientiam tangit, ex præsumptione, non habeat locum in conscientia nisi veritas subsit, decidere, & verba in d. c. 8. ita simpliciter proferuntur, ut nulli supposito, vel præsumptioni inniti videantur: propterea magis puto, votum peregrinationis Hyerosolymitanæ, quod non causa devotionis, sed in subsidium Terræ Sanctæ emissum est, accenseri votis *realibus* vel *mixtis* in quibus principale est id, quod est *reale*, ideòque habere locum, quod dicitur in seqq. responsionibus. Nam tunc votum dicitur tale, quando in eo principaliter consideratur & intenditur utilitas Ecclesiæ vel piæ causæ, accessoriè autem devotio vel labor personæ, sed in promisso subsidio terræ sanctæ utique principaliter intenditur utilitas Ecclesiæ Catholicæ, accessoriè autem personæ labor, qui benè & forsan fructuosius potest per substitutum impleri: ergo &c.

R. IV. Vota *realia* per alium implenda sunt, si per ipsum voventem impleri non possint, quia nihil interest, an ipse vovens an alius ejus nomine etiam de ipsius substantia eleemosynam expendat.

R. V. In votis *mixtis* quantum ad eorum realitatem quæstio dependet à præcedenti, an

Q 3

nimi-

nimirum, si votum quo ad partem obligationis personalis sit impossibile, impleri debeat saltem quo ad obligationem rei, ubi proinde illa distinctio est adhibenda, quam ibidem tradidimus, an scilicet id, quod est reale voti v. g. peregrinatio, & in ea oblatio, fuerit accessorie vel principaliter in obligatione, item an intentio votantis fuerit se ad singulas partes voti divisim obligare. *vid. Suar. de voto. lib. 2. c. 1. & 2. Laym. d. l. c. 2.*

17 *Quar. V.* An & quatenus vota defuncti obligent heredem? *R.* Rursus distinguendum esse inter vota, nam vota *realia* regulariter omnia ad heredem transeunt, & per eum expleri debent, quia sunt onus bonis defuncti annexum, quod consequenter in heredem transmittitur, *ex parte, de censibus.* Quamvis autem executio voti *realis*, quod defunctus fecit ante omnia legata etiam pia fieri debeat, cum obliget animam defuncti, ante alia verò debita, quæ creditoribus defuncti ex iustitia debentur, votum non est solvendum. Nam votum reale tantum debetur ex *bonis* defuncti, non autem sunt *bona* nisi *deducto are alieno.* quare si deductis debitis non remaneat tantum, ut elemosyna vel donatio à defuncto per votum promissa possit ex toto impleri, sufficit si heres impleat & exequatur, in quantum vires hereditatis patiuntur. *Sanch. d. c. 15. n. 39.* ita tamen ut nullam *Falcidianam* vel *Trebellianicam* detrahat, quia cum in legatis piis, ad quæ defunctus non fuit obliga-

tus,

us, non detur *Falcidia* detractio, *auth. similiter. C. ad L. Falcid. Tyraq De priv. pia causa. priv. 26.* multò minus dabitur sive ex Lege sive ex voluntate defuncti in voto, in quo defunctus propriam animam obligavit.

Vota *merè personalia*, ut jejunia, peregrinationes & similia heres regulariter implere non tenetur, quia jura & obligationes, quæ personæ defuncti in individuo cohærebant, non transeunt in heredem, nisi ultro se impleturum promississet, vel sub hac conditione implendi votum heres institutus fuisset. *c. licet. 6. & ibi DD. h. t.*

Neque ea vota quæ nonnunquam faciunt communitates, oppida, vel civitates peregrinandi, jejunandi &c. in ratione voti & sub reatu sacrilegij obligant successores, sed potiùs ex pacto, consuetudine vel statuto, accedente approbatione expressa vel saltem tacita Episcopi, qui etiam ejusmodi leges vel consuetudines *diacelanorum* ex causa abrogare potest. *vid Sanchez. d. c. 15. n. 19. Laym. d. c. 3. sub. n. 6. Suar. de voto. l. 4. c. 9. n. 10.*

In votis *mixtis* iterum attendendum est, an defunctus ita voverit, ut si id, quod fuit *personale* in voto non potuisset implere, saltem tenebatur implere id, quod fuit *reale*? vel an *personali* impossibili non tenebatur etiam ad *reale*? Priori casu heres tenebitur ad rem præstandam, non autem posteriori, *Suarez, d. lib. 4. c. 11.*

Qualiter Obligatio Voti tollatur.

SUMMARI A.

1. *Votum tollitur quatuor modis.*
2. *Materia voti deficit, quando non est amplius de meliori bono.* (vota.)
3. *Quotuplex sit potestas Superiorum irritandi*
4. *In directa potestate non attenditur an votum superiori praedictet, & ibi de votis Religiosorum.*
5. *Vota pupilli possunt etiam post pubertatem irritari, & Successor superior potest irritare vota sub suo antecessore emissa.*
6. *Maritus qualiter possit irritare vota uxoris.*
7. *An uxor possit aliqua vota mariti irritare.*
8. *Votum irritatum an reviviscat cessante potestate irritantis.*
9. *Qualiter, & à quo fiat commutatio voti.*
10. *Qualiter dispensetur in voto.*
11. *Quinque vota reservata Papae, & quanam.*
12. *Qua ratione possit fieri dispensatio in votis, cum obligent ex iure divino.*
13. *An Papa valeat dispensare in votis solemnibus Religionis, vel Clericatus.*

Quatuor modi sunt, quibus votum rectè & valide emissum tolli potest, ita ut amplius obligatorium non sit; primò si materia voti deficiat; Secundò si à superiori irritetur; Tertio si commutetur; & Quarto si voventi dispensatio concedatur.

Materia voti deficit, quoties opus Deo pro-
missum propter aliquas supervenientes circum-
stantias illicitum, aut etiam melioris boni impe-
ditivum, vel omninò indifferens, adeòque non
amplius Deo gratum, vel denique proflus im-
possibile redditur, e. g. vovisti non intrare cer-
tam domum propter periculum peccandi evi-
tandum, si ex postfacto periculum cesseret, voto
deobligaris; vovisti longiores peregrinationes,
vel statum cælibatus, aut Clericatus sæcularis,
sed malles jam ingredi Religionem, non impe-
dieris ab istis votis, quia omne votum potest
mutari in votum Religionis, cum nullum votum
obliget in præjudicium melioris & perfectioris
boni. *c. 4. b. t.*

Potestas irritandi vota aliquando est *spiritua-*
lis, aliquando *temporalis*, quatenus scilicet talia
vota à voluntate superioris, sive is spiritualis, sive
temporalis sit, dependent. Est autem præno-
tandum, quòd ista dependentia à superioris vo-
luntate sit in duplici differentia, una est per se &
simpliciter dicta, in quantum voluntas voven-
tis simpliciter & absolutè dependet à directione
& voluntate superioris, qualis est voluntas Reli-
giosi respectu sui Prælati, *c. si Religiosus. de ele-*
ctione. in 6. Item filij impuberis respectu patris,
vel tutoris, *c. mulier 32. q. 2.* Altera dependen-
tia est secundum quid, & quasi per accidens, vi-
delicet ratione materiæ, in qua alterius juri vel
potestati præjudicatur. ut si servus, filius fami-
lias, pubes, conjunx, Novitius aliquid voveat.

Q 9 5

quod

quod sine præiudicio & damno domini, patris, mariti, aut Monasterij observari non possit.

4 Igitur in casu prioris dependentiæ datur superiori directa potestas votum subditi irritandi, & annullandi licet sibi aut potestati suæ damnosum non sit, quia voluntas inferioris effectum non habet, nec à Deo accepta tur, nisi in quantum confirmata vel tolerata est superioris auctoritate, ut constat ex lib. Num. c. 30. licet verò leges *judiciales* veteris testamenti post adventum Christi celsarent, ut sup. e. 1. §. 1. n. 5. dictum, quatenus tamen sunt deobligatoriæ, & favorabiles conscientijs, rectè potest ex ijs divinæ voluntatis interpretatio, an votum acceptet vel non, desumi. & in c. 2. *causa* 20. q. 2. dicitur, *Monacho non licet votum vovare, & si voverit, frangendum erit.* Imò valebit talis irritatio, licet sine justa causa fiat, quia etiam hoc casu deficit consensus superioris, sine quo votum durare non potest; peccabit tamen juxta probabiliorem opinionem superior saltem venialiter, si absque justa causa votum irritet, quia abutitur jure & potestate sua, impediendo promptitudinem subditi ad exhibendum Deo cultum per votum, *Lessius de voto. dub. 10. n. 17.*

Interim licet Religiosus aliter quodcumque votum vovare non possit, nisi sub tacita conditione, si Abbas toleraverit, quoad licentiam tamen, seu consensum superioris petendum distinguendum est, an Religiosus votum fecerit in actione aliqua sibi licita, & concessa, v. g. cer-

tas orationes privatim dicendi : vel an in actione quidem bona, Religioso tamen ex certa causa prohibita, v. g. peregrinandi extra Monasterium; priori casu non tenebitur petere licentiam Prælati, sed de facto obligabit votum, usque dum ab Abbate aliunde resciente, vel per generalem prohibitionem in Capitulo irritetur. Altero autem casu obligabitur Religiosus ad petendam licentiam Abbatis, quia saltem ex voto tenetur facere quantum in se est.

Præterea communiter tradunt DD. quod pater vel tutor possit irritare vota liberorum in impubertate facta etiam postquam illi ad pubertatem pervenerunt, nisi post pubertatem talia vota nova voluntate confirmarint. Ratio est, quod parentibus atque tutoribus (quo nomine in defectu patris venit etiam avus paternus, vel in defectu ascendentium masculini generis etiam mater, cum ad eam quoque jure naturali cura filij impuberis spectet) detur simpliciter potestas vota in impubertate facta irritandi, ac in similibus attendatur primordialis natura obligationis & qualitas agentis, dum actum fecit. Quemadmodum in c. ult. de sententia excom. percussio Clerici facta à puero impubere absolvi potest ab Episcopo etiam post ejus impuberatem, Navar. man. c. 12. n. 71. Sanch. lib. 4. Moral. cap. 30. n. 14. Laym. d. l. cap. 7. n. 11. Tradit etiam Sanch. de Matr. lib. 9. disp. 4. quod vota uxoris, quæ tempore prioris matrimonij poterat vir, vel, si tunc erat impubes & inupta, pa-

ter aut tutor irritare, possit etiam succedens maritus, utpote qui etiam in locum patris & tutoris succedat. idemque iudicium fit de alio quovis superiore succedente in officio, ut possit irritare vota sub suo antecessore emissa, tametsi vota fuerint de licentia prioris mariti vel superioris emissa. quia per hanc non potuit præjudicari successoris pari potestate functuro. *c. innotuit. de elect.* ita tamen ut hoc casu fiat irritatio ex iusta causa. & hæc quoad casum primæ dependentiæ voventis ab ipso superiore.

In altero autem casu, quando tantum per accidens, & ratione materiæ voventis voluntas dependet à superiore, votum aliter superior irritare non potest sui inferioris, quam quatenus id sibi, vel rei suæ damnosum est. † Unde si v.g. uxor longam peregrinationem, jejunium, aut eleemosynam de bonis dotalibus voveat, non valebit votum, nisi sub tacita conditione, si vir permiserit, imò licet maritus semel assensum dederit, & uxori executionem voti sui aliquamdiu permiserit, nihilominus ex post facto sententiam mutare & votum irritare potest *c. manifestum. 33. q. 5.* eadem est ratio de filiofamilias, si post pubertatem aliquid voveat, quod in detrimentum vel incommodum patris cedat, v. g. sumptuosam peregrinationem, abstinentiam à carnibus, eleemosynas ex bonis patris &c. secus autem est, si uxor voverit se donationem facturam Ecclesiæ de bonis suis *receptiis*, aut filiofamilias de *bonis Castrensibus*, in talibus enim bonis non

non fit præjudicium marito, vel patri, cum pleno jure spectent ad voventem, & consequenter votum circa ea irritari non potest. *DD. mox citati*, & hæc sententia quoad uxorem tanquam tutior suaderi potest.

Interim valde probabile est, quod docet Sanch. *De matrim. lib. 9. disp. 39. n. 4. & seqq.* uxorem subdi marito non tantum quoad Materiam voti, sed etiam quoad voluntatem, vir enim Caput est mulieris, *ad Ephes. 5.* & Mulier est sub viri potestate. *Gen. 3.* videturque Deus ea de causa mulieris voluntatem subdidisse viro, quia Mulier est levis, imprudens, & facilis in emittendis votis, ideoque posse maritum omnia vota uxoris etiam continentiae, non petendi debitum &c. sicut pater filij impuberis irritare, ita enim hæc potestas Marito *Num. 30.* simpliciter conceditur; & confirmant dicta *SS. PP. in c. noluit. & c. fin. 33. q. 5. D. Thom. 2. 2. q. 88. ar. 8. ad 3.* ibi: *nullum votum religiosi est firmum, nisi sit de consensu pralati; nec uxoris, nisi sit de consensu viri.* Imò ulterius putat Sanch. *d. l. n. 16.* quod maritus possit irritare vota uxoris constante matrimonio emissa, sed collata in tempus dissoluti matrimonij: Quia tempore emissi voti voluntas voventis subdita est marito. *Et eod. lib. 9. disp. 40. n. 4. & seqq.* quòd Maritus possit irritare vota uxoris, etiam de sua licentia emissa, quamvis peccet irritando sine causa. Divortio tamen facto ex causa adulterij nulla potestas irritandi est. *d. disp. 39. n. 8.*

Sed

7 Sed an etiam econtra uxor aliqua vota mariti irritare valebit? R. Affirmativè, in quantum ea uxori in jure suo conjugali, quod habet in corpus mariti, vel in bonis suis præjudicant, ut si maritus voveat longam peregrinationem, & diuturnam absentiam, donationem ex bonis dotalibus, & similia, *Sanch. d. l. 9. disp. 42.*

Uno tamen casu jura propter publicam necessitatem Christiani populi derogarunt potestati uxoris, quatenus scilicet maritus præter uxoris assensum possit liberè vovere peregrinationem Hierosolymitanam pro terræ sanctæ redemptione, si nimirum in ea qualitate sit, ut vel ipse militare, vel milites secum ducere, aut suo consilio militantibus adesse possit. *c. ex multa. 9. §. penultimo b. t.* similiter juri mariti vel uxoris derogatum est in voto religionis ante matrimonium consummatum, *t. de convers. Conjug.* Item prælato in voto religiosi ad strictiorem ordinem transitori, *c. licet. de regular. Sanch. d. disp. 39. n. 19.*

8 Demùm hic quaritur, an reviviscat votum semel irritatum, postquam per mortem mariti, vel patris subjectio cessavit? In hac quæstione satis conveniunt DD. primò, quòd votum Religiosi, vel impuberis à Prælato vel patre irritatum semper irritatum maneat, quia illi habent simplicem & directam irritandi potestatem. Secundò, quòd votum à muliere factum, antequam in matrimonium transivit, vel à sero vo antequam in potestatem Domini venit, pos-

fit quidem à marito vel domino interim irritari, quatenus sibi præjudicat, postquam verò conjugium vel potestas dominica cessavit, votum incipiat, ut priùs obligare, quia non fuit simpliciter irritatum, sed tantùm respectu dictæ potestatis, cui præjudicavit. Sed in tertio dissentiunt, an scilicet votum, quod uxor constante matrimonio, vel filius jam pubes, dum adhuc in potestate patris erat, emisit, atque irritatum fuit, obliget iterum, postquam matrimonium aut patria potestas soluta est. Affirmativa sententia tutior est, dummodo votum fuerit in omne vitæ tempus conceptum, & non præcisè ad statum conjugij, vel certos annos, qui jam elapsi sunt, restrictum, ut si uxor voverit se totâ vitâ aliquot diebus in hebdomade jejunaturam &c. Ratio est eadè, quæ in præcedenti articulo. quòd scilicet irritatio voti constante matrimonio facta non fuerit simplex, & totaliter tollens obligationem voti, sed solum in quantum præjudicavit. *Innocentius in c. Scripturae h. t. Lessius de voto. dubio 10. n. 86.*

Quia tamen etiam pro contrario sunt non pauci DD. cum Panorm. *in d. c. Scripturae. §. c. quidam. de convers. conjugat. Sanch. d. l. 9. disp. 39. n. 36.* idèò fortassis Episcopus in tali voto ad cautelam dispensare poterit, nam quando est dubium, an res egeat dispensatione, posse Episcopum dispensare, vel declarare, quòd non sit opus dispensatione, tradit *Garcias de beneficiis. parte 7. c. 2. n. 19.*

Per

9 Per *commutationem* tollitur obligatio voti, si id, quod ante erat promissum in aliud opus bonum. & Deo gratum commutetur. ad hanc *commutationem* duo principaliter requiruntur, scilicet *causa*, & *superioris auctoritas*: *causa* est vel difficultatis, vel utilitatis; *difficultatis*, si propter pauperatem, debilitatem corporis, periculum frequentis omissionis, aliasve circumstantias difficilis sit voti executio. imò levior etiam difficultas sufficit, si votum in puerili ætate ex facilitate potius quàm arbitrio discretionis emissum sit, *c. 2. h. t.* *Causa* verò *utilitatis* est, si vovens pro opere Deo promisso, aliud Ecclesiæ utilius, & Deo gratius præstare paratus sit. quamvis autem auctoritas superioris non requiratur, si opus in quod votum commutatur, manifestè Deo gratius sit, ut si vovens vellet Religionem ingredi, *c. 4. h. t.* vel si voverit, se daturum Ecclesiæ certæ, & deinde velit dare pauperiori, & magis indigenti; quia in similibus casibus non tam violatur votum, quàm auctius, & plenius redditur; si tamen dubium sit, quodnam opus omnibus consideratis melius & Deo acceptius habendum, tunc auctoritas & arbitrium superioris omninò intervenire debet, *c. 1. & ibi DD. h. t.*

Porro nomine superioris non tantùm venit S. Pontifex, sed etiam inferiores Prælati jurisdictionem Episcopalem habentes. Ipsi quoque aliquando Confessarij, vel ex Jubilæo, vel aliunde privilegium commutandi vota obtinent.

Ea

Est tamen in *commutatione* observandum, ut opus illud, in quod fit commutatio, moraliter, & arbitrio prudentis viri aliquo modo æquivalet rei per votum promissæ. Interim nihil obstabit, quin votum reale commutari possit in personale, vel econtrâ, licet plerumque convenientius sit, ut reale in reale, vel etiam personale in reale commutetur, quia ordinariè onera realia etiam charitatem erga proximum, vel utilitatem Ecclesiæ concomitantem habent, nisi personale fuerit corporis afflictivum, & certis peccatis resistens, quod proinde expedit, ut in aliud simile quod votens perficere possit, convertatur, v. g. jejunium in orationes quotidianas &c. In specie autem de commutatione votorum, quæ à Confessarijs fit tempore Jubilei & qualiter singula vota commutanda sint, valdè utiliter legi poterit R. P. Gobat, *de duplici Jubileo*.

Denique per *dispensationem* extinguitur votum, si subexistente causa ejus obligationem Pontifex vel alius Prælati etiam inferior Jurisdictionem Episcopalem, aut speciale privilegium habens remittat, causæ autem dispensandi recensentur, si votum ex minori deliberatione, ut in ira, metu, ætate puerili, vel aliqua animi perturbatione non tamen auferente prorsus mentis Judicium emissum sit, ut deinde difficulter observari possit; aut si aliqua magna, & publica utilitas per dispensationem obtinenda speretur, veluti si unicus heres ali-

MAN. PAROCH. R^x cujus

cujus Principatûs vel insignis familiæ votum castitatis fecerit &c. & hæc dispensatio plerumque necessaria est in votis majoribus, quæ propter dignitatem materiæ non recipiunt aliquam æquivalentem commutationem; in minoribus autem magis commutatio, quàm dispensatio locum habet, quia obligatio Deo facta debet omni meliori, quo potest, modo impleri, unde & in ipsa dispensatione circa vota minora aliquod saltem opus bonum votenti loco voti peragendum injungitur.

Porrò in votis dispensare non tantum potest S. Pontifex, sed etiam inferiores Prælati Jurisdictionem Episcopalem habentes, videlicet Legatus Pontificis in Provincia suæ Legationis; Episcopus in sua Diœcesi; Capitulum sede vacante, Prælatus exemptus cum suis subditis, Archiepiscopus cum subditis suorum suffraganeorum, non quidem semper, & ubique, sed si quasi per appellationem adeatur denegata dispensatione à suffraganeo, vel dum actu Provinciam visitat, quia extra appellationem & visitationem Archiepiscopus in subditos suffraganeorum regulariter Jurisdictionem non habet, *c. Venerabilibus. 7. de sententia excom. in 6. c. fin. de censibus. in 6.*

II Sunt autem quinque vota specialiter reservata, in quibus nemo præter S. Pontificem, vel cuius ex singulari privilegio concessit, dispensare potest nimirum 1. votum *perpetua castitatis.* 2. votum *ingredienda religionis.* 3. votum

peregrinandi Romam, seu ad limina Apostolorum. 4. peregrinandi Hierosolymam, & 5. peregrinandi ad S. Jacobum Compostellam. Extrav. etsi dominici. fin. de pœnit. & remiss. inter com.

Verùm cùm hujusmodi reservatio à communi jure exorbitet, & Episcoporum potestati deroget, odiosæ & strictè interpretationis censetur, ac propterea non extenditur ad illa vota, quæ licèt habeant cum istis aliquam similitudinem, non tamen sunt omninò, ac in specie eadem. Quare non erit reservatum votum *castitatem* servandi non perpetuò, sed tantum ad certos annos, nec votum non petendi debitum conjugale, vel non nubendi, aut non fornicandi, nec votum suscipiendi Ordines Clericales, nec votum conditionatum (puta, si convaluero ex morbo ingrediar Religionem) ante conditionis eventum. Votum ingrediendi Religionem strictiorem, ut liceat ingredi minus strictam, vel permanere in minus stricta. Votum pœnale v. g. si fornicatus fuero, voveo me iturum Romam, etiam post pœnam commissam DD. mox citandi probabiliter non reservatum ajunt, quòd non habeat naturam aliorum votorum, quæ simpliciter & directè fiunt ex affectu erga rem promissam & ob cultum divinum, sed hoc fiat directè ob aversionem & detestationem peccati.

Votum quoque peregrinationis Hierosolymitanæ nonnulli tantum eo casu reservatum putant, quo factum est intentione subvenien-

di terræ sanctæ contra hostes Christiani nominis, *arg. text. & Gloss. in c. ex multa, h. t.*

Denique in votis reservatis dispensare potest Episcopus, quando est impedimentum adeundi S. Pontificem, & est necessitas accelerandi dispensationem, id, quod plerumque in voto castitatis contingit, postquam matrimonium jam contra votum contractum est, propter periculum quotidianæ incontinentiæ. In votis autem peregrinationum impedimentum frequentius solet esse tantum temporale, ut propterea potius dilationem quam dispensationem requirant.

Sed & tunc Episcopo dispensationem concedunt, si subsit dubium juris aut facti, an votum in talibus circumstantiis obligatorium sit. Item si votum reservatum prius S. Pontifex in aliud opus commutavit, tunc Episcopus ex nova causa denuò aliam commutationem facere poterit, neque enim aliud opus in quod commutatio facta est censetur reservatum ex regula juris, quòd *surrogatum sapiat naturam ejus in cuius locum surrogatur*, quia procedit circa substantialia surrogati, ut circa obligationem, non autem circa accidentalia, si ea sint strictæ interpretationis & non extendenda, sicuti est reservatio, *vid. Sanch. de matrim. lib. 8. disp. 9. & seq. Less. lib. 2. c. 40. dub. 13. Laym. l. 4. tr. 4. c. 8. n. 8. & seqq. Surr. d. L. 6. c. 20.*

12 Sed inquires, quomodo Pontifex vel Episcopus potest dispensare in voto, cum tamen vo-
tum

tum obliget ex Jure divino, in quo dispensatio non conceditur. R. Jus divinum aliquando obligare omnes per se sine omni præsupposita voluntate humana, ut in præceptis Decalogi & similibus, ac in his verum est dicere, quòd dispensare non liceat; aliquando autem obligat Jus divinum ex præsupposita obligatione humanæ voluntatis, & quàm diu ista durat, ut in votis & juramentis; igitur si ista obligatio humana per irritationem, commutationem, aut dispensationem tollatur, cessabit etiam obligatio Juris divini, quæ obligationi humanæ voluntatis tanquam fundamento innititur, quia non aliter obligat votum ex Jure divino, quàm quatenus valet & durat, *vid. Sanch. de matr. lib. 8. dis. 6.*

Demùm vulgaris est controversia, an summus Pontifex possit in votis solemnibus dispensare, adeòque efficere, ut Religiosus professus possit rursus ad sæculum redire? Rationem dubitandi facit *tex. in c. cum ad Monasterium. in fine de statu Monachorum.* ubi dicitur, quòd *abdicatio proprietatis, sicut & custodia castitatis ita sint regule Monachali annexa, ut contra eam nec summus Pontifex possit licentiã indulgere.*

Nihilominus apud Recentiores & DD. cc. communius receptum est, posse summum Pontificem etiam in votis solemnibus dispensare, quia solemnitas votorum est tantùm Juris positivi, *tex. in c. unico. h. t. in 6.* ergò si Pontifex tollat solemnitatem, quæ est juris positivi con-

sentiente maximè Religione, & remittente Jus suum, quod habet in Religiosum, manet tantùm votum *simplex*, in voto autem *simplici*, quin Pontifex dispensare possit, nemo facile dubitaverit, ad text. *in d. c. cum ad Monasteriũ*, communis, & vera est responsio, quòd loquatur in *sensu composito*, quòd scilicet non possit dispensari in votis solemnibus cum Religioso, ut maneat Religiosus, quia per talem dispensationem cessarent substantialia Religionis, non autem loquatur ibidem Pontifex *in sensu diviso*, & quòd status Religionis totaliter ab aliquo tolli non possit.

CAPUT II. De Juramentis.

Votis affinia sunt *Juramenta*, placuit propterea etiam de his breviter aliqua addere, omissis tamen illis juramentis, quæ in judiciali processu usitata sunt, & parum ad præsens institutum faciunt.

SUMMARIA.

1. *Juramentum quid, & quibus modis aut verbis fiat.*
2. *An licitum sit jurare.*
3. *Attestatio sub fide sacerdotali, nobili &c. an sit juramentum.*
4. *Juramentum debet habere*
5. *Veritatem.*
6. *Judicium.*
7. *Iustitiam.*
8. *Juramentum contra jus quando validum.*
9. *Juramentum assertorium non est necessarium de re bo.*